

36

28.

DE
POSTVLATO PONTIFICIS R.
C O N F I R M A N D I
ELECTIONEM REGIS ROMANORVM
SIBI NVNTIATAM

DISSERTATIO I.

QVAM

PRAESIDE

IO. CHRISTOPHORO PESLERO

I. V. D. PAND. PROF. PVBL. ORD. ET FACVLT. IVRID. ASSESSORE
ACADEMIAE H. T. RECTORE

IN AUDITORIO ICtorvm

III. ID. DECEMBR. A. O. R. CIO IOCC XXXXII.

DEFENDET

IO. HENR. LVDOV. BERGIVS

CVSTRINENSIS.

FRANCOFVRTHI AD VIADRVM

EX OFFICINA PHILIPPI SCHWARTZII ACAD. REG. TYP.

DE
POSTAVIT RONTHIUS
COPPIA
HOMINIS MIRABILIA
SITI SAVILLAT
DISERTA
PRAECLARA
CERTRIFICIO
CERTRIFICIO
CERTRIFICIO
CERTRIFICIO
CERTRIFICIO
CERTRIFICIO



I.

Et hoc minime inusitatum inter gentes cultiores, vt principes summi et proceres, a quibus quaeque gubernantur, felicia aequa ac minus laeta rerum suarum euenta sibi in uicem nuntient, eosque in primis, de quorum amicitia bene sperant, vel ad societatem gaudii, vel etiam communionem doloris inuitent. Illud autem non humanitas tantum, sed plane necessitas quaedam efflagitare videtur, vt, si quis princeps, in alterius defuncti locum surrogatus, ad rem publicam accedit, tum extranearum gentium rectoribus, tum ciuibus suis id significet, vt illi, quo cum in posterum de rebus publicis sit tractandum, hi vero, cui obtemperare debeant, edoceantur. Sed his ipsis longe adstringuntur arctius, qui superiorem agnoscunt, vt, si quicquam muneris publici nanciscuntur, principi se offerant probandos, ac in loco, in quo nuper collocati sunt, confirmandos. Etenim non raro fieri solet, vt princeps has illasue rei publicae partes subiectis suis committat, atque etiam constitutiones magistratum, sacerdotum aliorum denique officiorum, collegiis, vniuersitatibus, aut

A

plane

plane singulis relinquat. At quo maioris interest rei publicae, ut is, apud quem summa rerum est in ciuitate, sciat, quinam, quamue idonei cuique stationi sint praefecti, sapientissimo sane consilio ubique fere locorum est introductum, ut designati munerum publicorum administratores, antea, quam spartae sibi demandatae auspicia faciant, principem adeant, examinatique ab eo ac probati ad munus subeundum remittantur. Accidit id hodie in magistratibus urbanis, qui ut ut in plerisque Germaniae prouinciis a ciuibus aut etiam collegis nominentur, iniussu tamen principis spartam sibi oblatam adire minime possunt. Idem fieri notum est eorum contemplatione, qui sacerdotio destinantur. Hi enim si vel maxime vel ab yniuerso coetu, cui praeficiendi sunt, vel etiam a delectis, aut collegiis magistratum, aut singulis optantur eligunturque, tunc demum tamen functionem sacram rite in se suscipiunt, si ab eo, cui cura sacrorum competit, sunt confirmati. Atque etiam iis, qui clientelari iure in beneficiis, quae feuda vulgo appellantur, succedunt, hoc praeter cetera incumbit, ut intra certum tempus dominum adeant, clientelamque, qua obstricti sunt, ac cuius intuitu bonorum morte priustini successoris vacuefactorum possessionem sibi afferunt, solenni ritu formulaque profiteantur, fidem etiam clientelare sacramenti religione interveniente obstringant. Ut taceam alia aliorum exempla, qui sese muneribus publicis immiscere, nisi principe auctore, nequeunt.

II.

Patet autem ex dictis, non vnas easdemque esse causas, quam ob rem auspicia potestatis qualiscunque vel aequalibus vel inferioribus, vel etiam superioribus, sunt indicanda. Tanto minus itaque nobis vitio verti poterit indagaturis, quo tandem

tandem titulo pontifici electionem suam significare soleat Rex Romanorum a Germanis electus. Etenim inter omnes constat, iam inde a pluribus saeculis vsu fuisse introductum, vt, simul ac princeps eorum, ad quos pro cuiusque aeuī more electio pertinuit, suffragiis ad regni Germanici solium evectus esset, id tam ab ipso electo, quam eligentibus, pontifici notificatum fuerit. Nec facile erit quisquam rerum recentissimarum ac publice gestarum tam ignarus, vt nesciat, aut iam oblitus sit, Augustissimum Carolum Albertum, omnium electorum suffragiis viii. kal. Febr. hoc ipso anno ad imperialem dignitatem evectum primum litteris, mox etiam solenni legatione missa, pontificem ea de re fecisse certiori. Illud autem non aequa expeditus est, si diuerissimas hominum opiniones spectes, vtrum pontifici imperator tanquam princeps ac dominus, an subjectionis et obedientiae ostendenda causa, an vero ex more inter gentes recepto tanquam aequalis aequali suam nuntiet electionem. Nec mirum, in tam varias hic discedi opiniones, cum de potestate R. episcopi tanto dissensu tantaque discordia disputatum sit, vt omnium enumerare sententias et molestum et difficile videatur. Non desunt enim, qui auctoritatem pontificis eo usque extollunt, vt illi ceu Iesu Christi vicario summum et absolutum totius terrarum orbis dominium imperiumque vindicent, illique omnes, quoquaque tandem nomine veniant, reges ac principes, ipsumque adeo imperatorem in sacris aequa ac ciuilibus, subiectos esse, sine villa dubitatione defendant. Hi vero vt vt ceteroquin imperatoris dignitatem omnibus modis uehant, illique tantum non dominium orbis, pontificio iuri subordinatum, afferant, reges etiam et principes omnes, si non re ipsa, iure tamen, subesse, fingant, in eo tamen iniqua ac plane iniurii sunt in imperato-

rem,

A 2

rem, quod electionem eius, et omnes, quibus gaudet, praerogatiwas, a pontificis R. concessione, approbatione et confirmatione pendere, admodum audacter comminiscuntur. Non poslunt igitur, his praefultis, non affirmare, electores aequae ac recens electum imperatorem non sola humanitatis ratione adductos, de electione facta ad pontificem R. referre, sed plane necessitatis caussa, vt consensum pontificis ad suam voluntatem perducant, ab eoque rei gestae impetrant confirmationem. Verum enim vero, quo magis haec opinio aduersatur maiestati regni Germanici, eo longius ab illa recedunt alii, pontificique quicquam in constituendo imperii capite competere, negant perneganque. Tanto minus igitur ab his expectabit quisquam, vt vel electores, vel imperatorem recens electum, adstrictos esse largiantur ad electionem pontifici, tanquam superiori, et rei peractae iudici, significandam. Quin potius omni opera et studio contendunt, non aliam esse electionis nuntiari solitae rationem, quam vt sciat pontifex, quemnam in posterum cum suis Romanis tanquam principem et dominum debeat reuereri. Medium quasi viam inter vtriusque opinionis, hactenus recensitae, defensores ineunt, qui duo in his terris capita dari, alterumque ecclesiae, civili societati alterum, a Deo ita praepositum esse statuunt, vt vnumquodque, suis limitibus circumscriptum, nihil in alterum iuris sibi arrogare possit. Cuius quidem sententiae auctores, vt sacerdotium principatui subesse negant, ita vicissim ciuilem potestatem a pontifice R. profici, ab eiusue auctoritate pendere, minime concedunt. Tantum igitur abest, vt etiam hi imperatorem ad confirmationem dignitatis et potestatis sibi delatae a pontifice impertrandam obstrictum esse, credant, vt potius summam rerum et facultatem administrandi imperii solis suffragiis principum, eligen-

eligendi iure instructorum, adscribant. *Enim vero facile est ad intelligendum, ex his tribus, quas recensui, opinionibus curiae R. vt sibi maxime assentitur, vtue dominationis est appetentissima, illam vnicē placere, quae pontifici dominium orbis tribuit, eiusque gratia regna et imperia quaeri, ac retineri, eius etiam voluntate denuo auferri, et, quod in primis huc pertinet, imperii Romano-Germanici gubernacula non, nisi praeuia praeſulis R. approbatione et confirmatione, suscipi posse, affirmat. Quod ne quis a me confictum esse suspicetur, minime erit superuacaneum, ad testium fide dignorum auctoritatem prouocare. Sed non erunt facile magis idonei, quam ipſi pontifices, dominationis suae, saltem quod ad hoc momentum attinet, sine ulla dissimulacione afflatores.* Ex quibus tamen in praefentiarum vel solum Innocentium III nominasse sufficit, quippe qui in epistola ad Bertholdum, Zaringiae ducem exarata 1) libere est profesſus, suum esse iudicium, vtrum princeps per electionem imperio destinatus sit admittendus, an repudiandus. Idem ille in aſerendo hoc iure eo vsque crudelitatis progressus est, vt summa imis miscere, seditiones et bella excitare, sanguine et caedibus vniuersam Germaniam implere, regnumque in extreum discrimen adductum euertere ac pessundare, quam ab iniquis postulatis recedere, maluerit.

1) c. 34. X. de elect.

III.

Vt vero intelligatur, a quibus demum initii coeperit tantorum postea malorum cauſa, paulo erit altius ascendendum. Neque tamen opus est, vt antiquissimorum illorum temporum memoriam repetamus, quibus Germania nostra non vna, sed pluribus, iisque minoribus, rebus publicis

A 3

contine-

continebatur. Haec enim quoniam ipsorum pontificum aetatem, aut saltem christianaे religionis, a maioribus nostris receptae, primordia excedunt, certe vix erit quisquam tam stolidus, vt hoc quidem aevo incunabula pontificii iuris in Germaniam et principes, a singulis populis delectos, quaerat. Imo oleum et operam perderet etiam is, qui inde vsque, cum Germania in maiores populos consociata, ac tandem vniuersa in Francorum potestatē redacta, Christianis sacris sensim paulatimque initiatā est, ius episcopi Romani in approbandis regibus deducere vellet. Neque enim probabile est ad fidem, tantam vna cum saniore de Deo colendo disciplina maioribus nostris implantatam esse in extraneum sacerdotem religionem, vt populus, libertatis, si quis vnuquam, studiosissimus, et cum internecione illorum, a quibus in seruitutem petebatur, vindex, indolis suae continuo oblitus sit, et ordinationem regum suorum ad arbitrium episcopi R. retulerit. Illi sane, qui argumentis, quæ modo cunque conquerere potuerunt, omnibus negarunt, imperialem dignitatem regno Germanico annexam non, nisi auctore pontifice R. a quoquam impetrari, ad haec tempora prouocare non sunt ausi. Posset tamen, quod ARNISAEVS 1) iam monuit, a curiae R. defensoribus appellari exemplum Pipini, quem, Childerico, rege ex Merouingis nouissimo, de solio regni deturbato, ac in monasterium detruso, iussu R. pontificis regno admotum esse, non pauci scribunt. Ita enim perhibent EGINHARDVS 2) AVCTORES ANNALIVM FRANCORVM 3) FULDENSIVM, 4) HERMANNVS CONTRACTVS, 5) aliquie a NATALI ALEXANDRO, 6) HAHNIO 7) et STRVPIO 8) allegati. Nolo iam mea facere, quae NATALIS ALEXANDER, 9) iam commemoratus, ad imminuendam totius historiae fidem adduxit. Quo enim pacto ea, quae partim ex temporum ratione, partim ex aetate Childerici,
partim

partim denique ex ipsa pontificum R. indeole et iustitiae studio desumfit, dubia tolli possint, viri celeberrimi, 10. MABILLONIVS,
10) et post eum B. G. STRVVIVS 11) ostenderunt. Dabo potius,
vera esse omnia, quae aevi prisci scriptores de regno Fran-
corum, auctoritate pontificis R. in Pipinum translato, com-
memorarunt. Et tamen nihilo magis exinde colligi poterit,
a nutu praesulnis R. pependisse regnum Francorum, ordines-
que regni non, nisi imperatō eius consensu, deserere Mer-
uaeades, aliumque regem, sibi magis placentem, optare po-
tuisse. Aut enim omnis fallor, aut certe Pipinus arcano po-
tius consilio, quam necessitate quadam iuris, permotus fuit,
vt assensum praesulnis R. expeteret, eoque imperatō, populo
ancipiti facilius fucum faceret imponeretque. Illi 12) fane,
qui primitias primatus papalis totiusque hierarchiae incre-
menta paulo accuratius indagarunt, iam dudum docuerunt,
etiam antequam episcopi R. ad id fastigii, in quo inde a plu-
ribus saeculis stant, peruererunt, episcopos alias de arduis
cauiss ad illos retulisse. Etenim quemadmodum in vna ea-
demque prouincia is praeter ceteros episcopos in aliqua di-
gnitate erat, ac in conuentibus ecclesiasticis primum lo-
cum tenebat, qui metropoli praererat, ita certe episcopi R.
inter reliquos totius fere christiani orbis sacerdotes tanto e-
minentior fuit auctoritas, quanto longius et sedis maiestate
et antiquitate, et disciplinae ecclesiasticae cognitione accu-
ratiore alias omnes antecellere videbatur, vt mirum non sit,
extraneos ecclesiarum praesules, nullo adhuc vinculo sedi
Romanae adstrictos, in negotiis maioris momenti et dubiae
disciplinae consilium episcopi R. sententiamque rogasse. Etsi
vero hic consultandi mos, ex libera exterorum voluntate et
sola sedis reuerentia profectus, postquam ecclesia in formam
singularis principatus redacta fuit, in necessitatem abiit,

Roma-

Romanique pontifices, quod antea sponte factum erat, in ius traxerunt, non tamen aequo principibus et proceribus regnorum, ac ne sacerdotibus quidem, persuaderi potuisse, ciuilia etiam negotia reique publicae ordinationem et administrationem ad pontificum R. iudicium pertinere, Hadrianus II. pontifex est expertus. Cum enim Lotharius II., Lotharii I. filius, Ludouici P. imperatoris nepos, decessisset, ac Carolus caluus Lotharingiam primo solus inuasisset, mox cum Ludouico, fratre, diuisisset, Ludouicus II. imperator autem, frater Lotharii, de iniuria, sibi a patruis illata, maximopore conquereretur, a partibus huius stetit Hadrianus, 13) excommunicationem minatus iis, qui alienos fines vel inuasissent, vel retinerent. At masculine obstiterunt Franci, pontificemque satis aspere arguerunt, qui nouo ac inauditio exemplo regem, in dissitis regionibus morantem, ac reprehendis barbarorum irruptionibus imparem, sibi obtrudere conaretur. 14) Certe longa alia sententia fuit Gregorio II. qui pontifici in conferendis regnis nihil juris competere, ingenuus est confessus. 15) Tahto minus itaque quisquam credit, vel Stephanum, vel Zachariam, pontifices, quorum auctoritate Pipinus rex factus esse dicitur, eo arrogantiae progressos esse, vt potestatem regem Francis dandi sibi sumserint, illi scilicet populo, qui intericto toto saeculo libertatem optandi regis vel cum dispendio vitae defensurum esse, Hadriano II. respondit. 16) Et quid opus est verbis, vbi manifesta indicia, probatissimorum auctorum fide subnixa, adfunt, non sua sponte pontificem, sed a Pipino interpellatum, et de sententia rogatum, interuenisse, Intelligebat enim Pipinus, princeps perspicacissimus, non minimi rem esse momenti, quam moliretur. Norat, iam inde ab antiquissimis temporibus Germanis in more positum fuisse, vt ne facile

a domo

a domo regnatrice in diligendis principibus recederent. Ideoque etiam non defuturos esse praeuidebat, qui crederent, noui ac plane pessimi exempli esse, ex auctorato regi, ex antiqua Merouingorum gente oriundo, nouum substitui, qui et ipse fidem, principi debitam, posthabuisse, et alios ad peierandum incitasset. Expeditissimum igitur visum est Pipino, dubitantibus forte, aut plane contradicentibus, opponere auctoritatem pontificis R. extranei quippe, et a partium studio alieni, praeterea voluntatis diuinae, ut credebatur, scientissimi interpretis. Eoque consilio Romam missi fuerunt, qui quaererent, melius ne et iuri diuino conuenientius esset, hominem desidem et inertem regio nomine gloriari, an vero, eum, qui rem publicam curaret administraret, sed nomine careret, regia dignitate augeri. 17) Quo magis autem pontificis R. intererat, conferuari sibi benevolentiam Pipini, cuius auxilio aduersus Longobardorum insultus maximopere indigebat, eo facilius inducebatur, ut secundum quaerentem responderet, illumque, qui rerum potiretur, etiam regem salutandum esse, deposito Childerico, censeret. 18) Igitur cum haec pontificis sententia tantum apud Francos valuisse, ut in verba Pipini iurarent, quasi religione quadam permoti, factum est postea sine dubio, ut quicquid huius rei gestum esset, pontificis R. consilio auctoritate, iussu, auxilio factum esse diceretur.

1) HENNINGVS ARNISAEVS de translatione imperii c. 7. n. 4.

2) EGINHARDVS in Vita Caroli M. c. 1. apud Reuber. inter scriptores rerum Germanicar. p. 11. 12. Gens Merouingorum, de qua Franci reges sibi creare soliti erant, usque in Hildericum, regem, qui iussu Stephani Romani pontificis depositus ac detonsus, atque in monasterium trulus est, durasse putatur. It. c. 3. Pipinus autem per auctoritatem R. Pontificis ex praefecto palatii rex constitutus -- obiit.

3) ANNALES REGVM FRANCORVM ad ann. 750. apud Reuber. 4 c. p. 36.
Hoc anno secundum R. pontificis sanctionem Pipinus rex Francorum appellatus est.

- 4.) ANNALES FULDENSES ad ann. 753. apud Freberum T. I. script. rer. Germ. p. 7. Zacharias, papa, ex auctoritate S. Petri, apostoli, mandat populo Francorum, ut Pipinus, qui potestate regia vtebatur, regni totius et nominis quoque dignitate frueretur.
- 5.) HERMANNVS CONTRACTVS ad ann. 752. apud Pistorium T. I. p. 216. auctoritate Zachariae, Papae, et non multo post Stephani, qui eidem in pontificatus sex annis successit, deposito ac deponso Hilderico, Merouingorum ultimo, Pipinus rex Francorum electus -- regnauit.
- 6.) NATALIS ALEXANDER in diff. de translatione regni Francorum a Childerico, rege, ad Pipinum, maiorem domus, historiae ecclesiasticae T. V. p. 737.
- 7.) S. F. HAHN. in der vollständigen deutschen Staats und Reichs Historie T. I. c. 1. §. 4.
- 8.) B. G. STRVVIVS in not. ad annal. Fuldenses interscriptores a Frebero editos. p. 7.
- 9.) NATALIS ALEXANDER l. c.
- 10.) IO. MABILLONIVS de re diplomatica L. II. c. 26. n. 11. et L. V. tab. 22.
- 11.) B. G. STRVVIVS in corpore histor. German. p. 127. n. 74.
- 12.) Ibid. PETRVS DE MARCA de concordia sacerdotii et imperii L. I. c. 10. et L. VII. c. 13. add. BOEHMER in selectis obseruat. ecclesiast. ad Petri de Marca disert. de concord. sacerd. et imp. L. I. c. 10. p. 43 seqq.
- 13.) Apparet hoc ex epistola Hadriani II. 19, 20, 21, 22, 23, 24. et 25. Tom. VIII. conciliorum, a Labbeo et Cossartio editorum, col. 916.
- 14.) vid. HINCMARVS, archiepiscopas Rhemensis, in epistola ad Hadrianum, oper. T. II. p. 690, vbi inter alia haec verba reperiuntur: Et perite dominum Apostolicum, vt, quia rex simul et episcopus esse non potest, et sui antecessiores ecclesiasticum ordinem, quod suum est, et non rempublicanum, quod regum est, disposuerunt, non praecipiat nobis habere regem, qui nos in sic longinquis partibus adiuuare non possit contra subitanos et frequentes paganorum impetus: et nos Francos non iubeat seruire, quia istud iugum antecessores sui nostri antecessoribus non impoferunt, et nos illud portare non possumus, qui scriptum esse in sanctis libris audimus, vt pro libertate et hereditate nostra vsque ad mortem certare debeamus.
- 15.) GREGORIVS II. in epistola ad Leonem Isaurum, quae extat in collectione allegata conciliorum, T. VII. col. 23. seqq.: Nam quemadmodum pontifex intropisciendi in palatum potestatem non habet, ac dignitates regias deferendi, sic neque imperator in ecclesiis etc.
- 16.) vid. notata ad n. 14.
- 17.) ANNALES FULDENSES ad ann. 751. apud Freber. T. I. script. rer. Germ. p. 7. Pipinus, missa Romam legatione, Zachariam Papam interrogat de regibus Francorum -- qui reges quidem dicebantur, sed potestas regni tota apud maiorem domus habebatur -- orat igitur sibi decerni, quis eorum iuste rex debeat dici et esse, is qui securus domi sedeat, an ille, qui curam totius regni et omnium negotiorum molestias sufferat. add. fragmentum de maioriis domus apud P. Pithocum inter annales et historias Francorum p. 229.

17.) ANNA-

- 18) ANNALES FRANCORVM ad an. 748. apud Reuber. scriptor rev. Germ. p.36.
 Burchartus, Witzburgensis episcopus, et Fortadus, presbyter capellanus, mis-
 si sunt Romam ad Zachariam papam, ut consulerent pontificem de causa re-
 gum, qui illo tempore fuerunt in Francia, qui nomen tantum regis, sed
 nullam potestatem regum habebant. Per quos praedictus pontifex mandauit,
 melius esse illum regem, apud quem summa potestas confiseret, dataque
 auctoritate sua iussit Pipinum regem constitui, add. notata n. 4.

III.

Cum vero, rebus ita constitutis, illibata mansit Franco-
 rum Germanorumque in regibus eligendis libertas, viden-
 dum est, num forte arctiore nexus fese obstrinxerint, post
 ea quam Carolus M. a pontifice ac senatu populoque R. im-
 perator est nominatus. Ac sunt quidem, qui hanc dignita-
 tis accessionem, Carolo M. factam, pro magno pontificis
 beneficio venditant, nouumque imperatorem pontifici eo
 plus debuisse, affirmant, quod in arbitrio hujus fuerit, in quem-
 nam imperium, Graecis ademitum, transferre vellet. 1) At
 quam frustra haec dicantur, illi iam dudum ostenderunt, qui
 in confutando BELLARMINO, haec talia post alios asseuerante,
 operam collocarunt. 2) Nec puduit MAIMBURGIVM 3) et
 ALEXANDRVM NATALEM, 4) quidquid de hac translatione im-
 perii, a pontifice facta, vulgo narratur, fabulis annumerare.
 Ecquid enim transferri a pontifice in Carolum poterat, quod
 non antea habebat. Gallias certe et Germanias, quam late
 Romanis paruerunt, iam dudum Romanis eripuerant Franci
 eodem belli iure, quo fuerant ab illis acquisitae. Marcam
 Hispanicam eodem titulo Carolus tenebat, aequa ac superio-
 rem Italiae partem, quam vi armorum amiserant Longobardi.
 Nec alia ratio fuit exarchatus, qui solus fere ex supe-
 rioribus Italiae regionibus in ditione Graecorum manse-
 rat, sed nouissime a Longobardis occupatus Caroli virtute
 fuerat recuperatus. Ipsa denique Roma, Graecis tutelam

B 2

contra

contra Longobardos denegantibus, Francorum regibus patriciatum obtulerat, iisque ita sese subdiderat, ut plane sacramento interueniente Carolo, imperatoris nomine adhuc destituto, fidem adstrinxisset. Largiar tamen denuo, quod ne quidem NATALIS ALEXANDER et MAIMBVRGIVS concesserunt, translatum esse pontificis auctoritate a Graecis ad Francorum imperium. Nec tamen exinde aliquid amplius consequetur, quam Carolum in Graecorum imperatorum iura successisse. Vnde vero probabitur, quandam imperatorum veterum precibus a pontifice impetrasse, ut ab hoc confirmaretur. Iustinum, quidem imperatorem, Hormisdae, pontifici, auspicio imperii sui nuntiasset, manifestum est ex eius epistola, a BARONIO 5) in lucem edita. Extant etiam litterae, quibus imperatori respondit Hormisda. 6) Sed in vtrisque ne vestigium quidem extat iuris illius, quod pontifices postea Germanicorum imperatorum contemplatione sibi tribuerunt. Enim vero, inquiunt, minime aestimandum esse imperium sub Francis et Germanis ex habitu et qualitate prisci. Hoc enim desuisse addunt, ac postea demum ab ecclesia, quo nomine pontificem intelligunt, renouatum, et in Francos collatum esse. Nihil itaque oblitissimum summo praesuli, quo minus novo imperatori eiusque successoribus, ab ecclesia causam habentibus, legem diceret, potestate inque, qua veteres usi erant, circumscriberet. 7) Dabo hoc denuo, potuisse pontificem limites ponere novo principi, illisque, qui huic erant successuri. Concedam quoque, ut nihil liberalitati desit, pontificem potuisse sibi reseruare arbitrium noui principis vel approbandi, vel repudiandi, si tamen hac conditione pro se posterisque acceptare voluit Carolus imperium sibi delatum. Id vero postulo, ut ostendatur, ita re vera inter Carolum et pontificem conuenisse, nullus ut in posterum princeps imperi-

imperium sine pontificis consensu adiret. In hoc enim momento cardinem controuersiae positum esse, nemo facile negabit. Interim, ut bona fide agam, nolo dissimulare, non omnino deesse pontificiae caussae defensoribus colores ad speciem aliquam faciendam. Etenim cum, superstitibus adhuc filiis tribus, in animum induxit Carolus, fines, intra quos regnarent post mortem suam, designare, primo proceres regni Francici conuocauit, eorumque consensu vniuersum terrarum suarum ambitum in tres partes diuisit, mox etiam confectum eam in rem instrumentum per Eginhardtum ad Leonem, pontificem, misit, huius subscriptione roborandum, quod AVCTOR ANNALIVM FRANCICORVM, 8) testatur. At ytrum ex hac sola subscriptione consequantur, quod volunt, non subsistere potuisse partitionem in comitiis vniuersi populi Francici factam, nisi adstipulante pontifice, ego quidem eo magis dubito, quo certius constat, defunctis ante patrem duobus filiis, Carolo et Pipino, Ludouicum Pium a Carolo M. patre, in consortium imperii receptum, imperatoremque nominatum ac coronatum esse, solo procerum Francicorum consensu, nulla pontificiae confirmatio-
nis habita ratione. 9) Animaduertit hoc CONRINGVS, 10) indeque colligi posse monuit, fuisse iam tum imperialem dignitatem in patrimonio Francorum, adeoque licuisse iis, ut regem Francorum, ita et imperatorem creare. Neque enim hoc mirum videri potest cuiquam, qui ad cauſas et origines delati Carolo a Romanis principatus, indolemque regni Francici, ac iura in primis, quibus in bellis suscipiendis usi sunt proceres, vel paullulum attendit. Romani certe, ut in potestatem Caroli transirent, hoc praecipue incitati fuerant, quod suis ipsorum opibus se aduersus Longobardos defendere non poterant, a Graecis, quorum imperio adhuc parue-

paruerant, destituti. Quanto autem magis valebant viribus Longobardi, tanto potentior illis opponendus erat princeps, et talis quidem, a quo sine mora et magna difficultate sūpetias expectare et impetrare possent. ¹¹⁾ Eamque ob rem cum nemo occurreret, qui hoc nomine, vel comparandus, vel plane praferendus regi Francorum videretur, quasi necessitate quadam factum esse, quilibet perspicit, vt Carolo praeter ceteros summam in se committerent potestatem. Attamen ne huic quidem aut auxilium ferre Romanis, aut manum cum Longobardis conferere licebat, inuitis Franciae ordinibus, quorum quippe consensu, quotiescumque de bello extraneis inferendo agebatur, expetendus erat. ¹²⁾ Neque enim bella Francica tam regis, quam regni nomine gerabantur, nec in iis administrandis reges stipendiario milite, a se suisque sumtibus conducto, vtebantur, sed exercitu ex illis ipsis, qui in comitiis bellum decreuerant, regni incolis, nobilibus ac ingenuis, conscripto. Igitur cum nihil magis aequitati conueniret, quam, vt, quod sanguine et opibus ciuium partum esset, regno potius, quam regis patrimonio, accederet, rectissime, mea quidem sententia, iudicauit summi nominis ICtus, ILL. COCEIVS ¹³⁾ quando et imperialem dignitatem regno Francorum per Carolum quae sitam esse affirmauit, lege regni, et gentium iure, ipsa denique Romanorum conditione, quae principem potentem et reprimendis hostibus parem postulabat, id suadente.

¹¹⁾ vid. HIERONYMVS BALVVS *de coronatione Germanica* c. 16. apud Goldafium in *politicis imperialibus* P. III. p. 256. seqq. in primis autem ROBERTVS BEL-LARMINVS *de translatione imperii Romani a Gracis ad Francos*, it. L. V. *de pontifice Romano* c. 8. qui liber extat in *bibliotheca maxima pontificia* T. XVIII. PETR. GREGORIVS THOLOSANVS *in syntagma. iur. finitimi* L. VI. c. 7. n. 6.

¹²⁾ HENNING. ARNISAEVS in comment. polit. de *translatione imperii* R. a Gracis ad Francos. c. 7. p. 189. seqq.

¹³⁾ LO-

ELECTIONEM REGIS R. SIBI NVNTIATAM.

15

- 3) LOUIS MAIMBOURG de la decadence de l' empire après Charlemagne L.
I. p. m. 10.
- 4) NATALIS ALEXANDER in diff. de translatione imperii a Graecis ad Carolum Magnum, historiae ecclesiasticae T. VI. p. 213. seqq.
- 5) CAESAR BARONIVS annal. ecclesiasticorum T. VII. p. 17. editionis Antwerp. de anno 1598. Iustinus, Augustus, Hormidae, papae. Dei beneficia licet multis, maxime tamen summis pontificibus conuenit indicari. Proinde sanctitati vestrae per has sacras declaramus epistolam, quod primum quidem inseparabilis trinitatis fauore, deinde amplissimorum procerum sacri nostri palatii et sanctissimi senatus, nec non electione firmissimi exercitus ad imperium nos licet nolentes et recusantes, electos fuisse atque firmatos. Precamur proinde, ut sanctis orationibus vestris diuinæ potentiac supplicetis, quatenus initia nostri roborentur imperii. Hoc enim et nos sperare, et vos decet implere. Data Kal. Aug. Constantinopoli, Magno. V. C. consule.
- 6) BARONIVS L. c. p. 18. Hormida, episcopus, Iustino, Augusto. Venerabilis regni vestri primi, fili glorioissime, loco munera gratulationem suam catholica transmitit ecclesia, per quas se post tantam discordiae fatigationem requiem pacis inuenire confidit. &c. Sed confirmationis nulla fit mentio.
- 7) vid. HIER. BALBV. l. c. n. 1.
- 8) ANNALES FRANCORVM ad ann. 806, apud Reuber l. c. p. 57. Conuentum habuit imperator cum primoribus et optimatibus Francorum, de pace conservanda et obseruanda inter filios suos, et divisione facienda in tres partes, ut sciret unusquisque eorum, quam partem regere deberet, si pars mortuo superstitem esse continget. De hac partitione et testamentum factum, et iure iurando ab optimatibus Francorum confirmatum, et constitutiones pacis conseruandæ causa faciae. Atque haec omnia litteris mandata sunt, et Leonis papae, ut ipse sua manu subscriberet, per Eginhartum missa. Quibus pontifex lectis et assensu praebuit et propria manu subscripsit.
- 9) EGINHARTVS in vita Caroli M. c. 30. apud Reuber l. c. p. 23. Carolus extremo vitae tempore, cum iam ex morbo et senectute premeretur, euocatum ad se Ludouicum, Aquitaniam regem, qui solus filiorum Hildegaridis supererat, congregatis solenniter de toto regno Francorum primoribus, cunctorum consilio sibi consortem totius regni, et imperialis nominis heredem constituit: impositoque capiti eius diademate, imperatorem et Augustum iussit appellari. THEGANVS in vita Ludouici P. c. 6. apud Schilter, inter script. rer. German. p. 71. imperator cum iam intellexisset, appropinquare diem obitus sui, vocauit filium suum Ludouicum, ad se cum omni exercitu, episcopis, abbatis, ducibus, comitibus loco positis, habuit grande colloquium cum eis Aquisgrani palacio, pacifice et honeste admononens, ut fidem erga filium suum ostenderent, interrogans omnes, a maximo usque ad minimum, si eis placuerit, ut nomen suum, id est, imperatoris, filio suo Ludeuico tradidisset. Illi omnes responderunt, Dei esse admonitionem illius rei, -- Tunc iussit cum pater, ut propriis manibus coronam, quae erat super altare, elevareret, et capiti suo imponeret,

10) HER-



- 10) HERMANN. CONRINGIVS de republica diss. V. §. 15. p. 188. et diss. VIII.
ib. 30. p. 418
- 11) PAULLVS WARNEFRIDVS in fragmento de episcopis Metensibus apud Pitheum, scriptor. Francie, p. 288. Carolus M. Romanos ipsamque vibem Romuleam, iam pridem eius praesentiam desiderantem, quae aliquando mundi totius domina fuerat, et tunc a Longobardis depressa gemebat, duris angustiis eximens, suis addidit sceptris, cunctaque nihilominus Italia miti dominatione potitus est, AVCTOR VITAE CAROLI apud. Pitheum L. c. p. 233. Post Pipinum pium regnauit dominus Carolus, filius eius, quem postea Romani elegerunt sibi aduocatum sancti Petri contra reges Longobardorum. Deinde ipsum dominum Carolum elegerunt sibi in patritium Romanorum. Deinde cleuauerunt in imperatorem et Augustum.
- 12) Colligitur hoc ex conuentibus, bellorum indicendorum causa institutis, quos commemorat IAC. CAR. SPENER L. II. c. 12. des teutschen Staats-Rechts §. 2. p. 258 not. 4. Ac vel solum bellum, a Pipino Longobardis illatum, documento esse potest, de quo Eginhardus c. 6. in vita Caroli M. Bellum contra Longobardos, Stephano, papa, supplicante, cum magna difficultate suscepimus est, quia quidam ex primoribus Francorum, cum quibus consultare solebat, adeo voluntati eius renisi sunt, vt se regem deserturos, domumque reddituros, libera voce proclamarent.
- 13) HENRICVS DE COCCEII in iuris publici prudentia c. 6. §. 17. p. m. 159.

V.

Iam vero futuros esse, praeuideo, qui dicant, non aequae nunc, ac antea, necessarium fuisse, vt, probata iam anno DCCVI. filiorum Caroli M. successione, auctoritas pontificis denuo interueniret in Ludouico P. imperatore post mortem fratrum designando. Sed velim cogitent, quod ex antea dictis apparere puto, ne in prima quidem diuisione ullam adfuisse iuris necessitatem, ob quam pontificis consensus esset expetendus. At enim, cui bono, inquis, Romanus missus est Eginhartus, ad subscriptionem instrumenti diuisionis a Leone impetrandam. Ego autem hoc factum esse existimo, vt sciret pontifex vna cum Romanis, cui praeter ceteros Caroli filios obsequium deberent, cuiue olim imperii corona esset imponenda. Quod si tibi non sufficit, per me quidem fieri potest, vt ea, quae de imperiali dignitate regno

regno Francorum acquisita, in medium allata sunt, interim seponantur. Illud tamen mihi dari, volo, vt aut hereditario iure collatum in Caroli gentem fuisse imperium dicam, aut, a solo pontificis Romanorumque arbitrio pependisse, affirmem, persisterene post mortem Caroli M. in fide successoris, an vero alterius cuiuscunque potestati sese subiicere vellent. Sane si verum est, quod BELLARMINVS 1) statuit, hereditarium fuisse Carolingis imperium R. ego non intelligo, cur opus fuerit pontificis assensus principibus ipso sanguinis iure munitis. Si vero in sola electione positum fuit ius Caroli, ego non video, qui demum fieri potuerit, vt Carolus, approbantibus Francis, successorem in imperio designaret, ac postea demum de consensu pontificis impenetrando laboraret. Si denique ita inter Romanos Carolumque conuenisse, regeris, vt certior fieret pontifex de successore imperatoris delecto, minime perspicio, quo iure hoc neglectum fit in Ludouico P. cui in prima diuisione obuenierat regnum Aquitaniae, imperio vna cum maxima parte terrarum Francicarum Carolo, filio Caroli M. natu maximo, destinaro.

1) ROBERTVS BELLARMINVS de translatione imperii Romani L. III. c. 3. p. 298.

VI.

Occurrit tamen etiam in gestis Ludouici P. quod causae pontificis inseruire videtur ad assertandam imperatoris confirmationem. Etenim annalium 1) fide pariter ac ex charta diuisionis 2) constat, principem hunc anno DCCXVII. adhuc in vegeta aetate constitutum, amore forte in filios, quorum illi tunc temporis tres erant, vel alia quacunque caussa, adductum vniuersum terrarum, sibi subiectarum, orbem ia inter illos dispergiuisse, vt Pipinus Aquitaniam,

C

Ludoui-

Ludouicus Baioarium, Lotharius autem, natu maximus, in consortium imperii ac imperialis nominis iam assumtus, defuneto patre, imperium solus haberet. Quam divisionem dum commemorat AGOBARDVS, 3) Lugdunensis archiepiscopus, ac Ludouico P. aequalis, indignabundus refert, ab ipso Ludouico, imperatore, Lotharium filium, consentientibus Francis imperiali nomine auctum, Romam ad pontificem missum esse, vt, quae gesta essent, ab hoc probarentur, ac confirmarentur. Quod quidem si ita se habet, nescio, an ii, qui aduersus pontificem laborant, argumentum fortius, saltem bona fide, desiderare possint. Non desunt interim, qui AGOBARDO, probatae alias pietatis viro, quod ad hoc momentum attinet, fidem accommodare nolunt, vel saltem verba eius non ita, vt prima facie postulare videntur, accipienda esse contendunt. BALVZIVS 4) certe sibi esse putauit, cur Lotharium confirmationis pontificiae causa Romam missum fuisse negaret pernegraretque. Neque enim continuo Italianam petiisse Lotharium, imperatorem recens appellatum, ait, nec ideo, vt coronam imperii a pontifice acciperet, omnium autem minime, quod tunc pontificis R. approbatio novo imperatori necessaria crederetur. Ac illud quidem aequa certum est, quam quod certissimum, iter Lotharii Italicum, iussu patris regni Italici constituendi causa suscepimus, in annum DCCXXII. incidisse. 5) Postea vero quam in subsequentem usque annum in Italia substitisset, iam compositis rebus redditum parans, rogatu Paschalis I. pontificis Romam diuertit, ab eoque coronatus, ac imperator Augustus appellatus fuit. 6) Nec magnopere, quod ad spatium interiectum attinet, repugnare videtur AGOBARDVS 7) quoniam alio loco id, quod totius imperii consensu factum fuerat, postea a sede R. roboratum esse scribit. Observauit haec verba

verba ipse BALVZIVS, 8) denuoque mouuit, non ita esse interpretanda illa, quasi Romanu[m] venerit Lotharius consensu[m] pontificii ex necessitate quadam iuris implorandi cau[er]a, sed quod a Paschali humanissime enixissimeque fuerat inuitatus. Ego vero vt huic BALVZII sententiae accedam, etiam aliis mo-
ueor argumentis, vt ego quidem existimo, tam validis, vix
vt credi possit, vel pontificibus ea aetate in mentem venisse,
confirmationem noui principis sibi arrogare. Notum est e-
nim, et publicorum instrumentorum fide nititur, non po-
tuisse olim pontificem sibi quicquam ex electione potestatis
sumere, prius quam imperator et exarchus Italiae electionem,
a clero populoque nuntiatam, ratam habuissent. 8) Neque
dubium est, eodem iure vsum esse Carolu[m] M., posteaquam
pontifex, vna cum populo R. a Graecis tantum noui derelictus,
et Longobardorum tyrannidi expositus, in tutelam ac
potestatem Caroli concessit. SIGEBERTVS saltem GEMBLACEN-
sis 10) testis est, Carolu[m] M. ius eligendi pontificem ab Ha-
driano I. centumque ac quinquaginta tribus episcopis et ab-
batibus vna congregatis anno DCCLXXIII accepisse. Quod etsi
ita intelligendum esse facile largior, vt pontifex non, nisi praef-
sentibus Caroli legatis, eligeretur, aut saltem electus, impetra-
to demum Caroli consensu, auspicia muneris faceret, vel
tamen exinde apparet, praeſules Romanos Carolu[m] M.
imperiali nomine adhuc deſtitutum, et solo patricii titulo
contentum, ſuperiorem agnouisse. Nec deteriorem Ludo-
vici Pii conditionem fuiffe, ea quidem, quae, ipſo imperante,
in diuersis diuersorum pontificum electionibus acta ſunt, de-
monſtrant. Ipſe Paschalis, a quo confirmarum eſſe Lothari-
um I. a patre in conſortium imperii adſcritum, ſcribit AGO-
BARDVS, Stephano ſurrogatus, ordinationem ſuam, non ex-
pectato imperatoris legato, factam, et contra ius fasque

praecipitatem, Ludouico excusauit. 11) Eugenius vero II. in locum defuncti Paichalis cooptatus, clerum populumque R. sacramenti religione obstrinxit, ne postea committerent, ut quisquam pontifex electus consecraretur prius, quam fidem suam imperatoris legato addixisset. 12) Denique Gregorius IV. tunc demum est ordinatus, cum eius electio a Ludouici legatis ad examen vocata ac probata fuisset. 13) Atque etiam ex epistola eius, ad episcopos regni Franciae exarata, constat, inter contentiones illas, quae Ludouico P. cum filiis intercessere, Gregorio, a partibus filiorum stanti, satis acerbe exprobratum esse, quod memoriam fidelitatis, imperatori iuris iurandi vinculo obligatae, deposuisset. 14) Tanto minus igitur est probabile ad fidem, ad pontificem pertinuisse iudicium de electione imperatoris, aut apud illum stetisse, probare ne an repudiare principem, ordinum consensu delectum, vellet, is nempe, qui spartam, sibi a clero populoque delatam, non, nisi ab imperatore confirmatus, poterat adire.

- 1) ANNALES REGVM FRANCORVM ad annum 817. apud Reuber. l. c. p. 160. Ludouicus P. reversus generalem populi sui conuentum Aquisgrani habuit: in quo filium suum primogenitum, Lotharium, coronauit, et nominis atque imperii socium sibi constituit: ceteros reges appellatos, unum Aquitanie, alterum Baioariae, praefecit. NITHARDVS de dissenzionibus filiorum Ludouici p. L. I. apud Schilterum script. rer. Germ. p. 80. Ludouicus vniuersum imperium ita inter filios diuisit, vt Pipinus quidem Aquitaniam, Ludouicus autem Baioariam, Lotharius vero post discelsum eius vniuersum imperium haberet, cui et vna secum imperatoris nomen habere concessit.
- 2) Ex hac apud BALVZIVM capitular, reg. Franc. T. I. col. 173. seq.
- 3) AGOBARDVS in fribili epistola de diuisione imperii Francorum inter filios Ludouici, imperatoris, c. 4. operum eius a Steph. Baluzio editorum T. II. p. 44. Ceteris filiis vestris designatis partes regni vestri; Sed vt vnum regnum esset, non tria, praeulisti eum illis, quem participem nominis vestri fecisti, ac deinde gesta scribere mandasti, scripta signare et roborare, et consolitem nominis vestrifactum Roman militis a summo pontifice gesta vestra probanda et firmanda, ac deinde omnes iurare iussisti, vt tales electionem et diuisionem cuncti sequerentur ac feruarent.
- 4) STEPHANVS BALVZIVS in notis ad hunc Agobardi locum p. 109.

5) AN-

- 5) ANNALES FRANCORVM ad ann. 822. apud Reuber. p 71. imperator Lothari-
um, filium suum, in Italiam misit, cum quo Walachum, monachum, propinquum
suum, fratrem videlicet Adelharti, abbatis, et Gerungum, ostiariorum magi-
strum, vna misit, quorum consilio et in re familiari et in negotiis, ad regni
commoda pertinentibus, vtteretur.
- 6) IDEM ANNALES ad ann. 823. l. c. Lotharius cum secundum patris iussio-
nem in Italia iusticias ficeret, et iam se ad reuertendum de Italia praepara-
ret, rogante Paschale, Papa, Romanum venit, et honorifice ab illo suscepimus in
Sancto paschali die apud S. Petrum regni coronam et imperatoris et Augusti
nomen accepit. Inde Papiam regreslus mense Iunio ad imperatorem venit
- 7) AGOBARDVS de comparatione triuiaque regimini ecclesiastici et Politici c. 4.
operum T. II. p. 51. Si enim, quod vestra voluntate et potestate cum con-
fensi totius imperii factum est, et postea in apostolica fede roboratum, hoc
vult in pristinum reducere statum, satis rationabilis et opportunus est eius
aduentus.
- 8) BALVZIVS in not. aed. d. l. p. 116.
- 9) IOAN. GARNERIVS in notis ad librum diurnum pontificum Romanorum apud Hoffmannum in nova scriptorum et monumentorum veterum collectione
T. II. p. 28.
- 10) SIGEBERTVS GEMBLACENSIS ad ann. 773. apud Pistorium T. I. script. rer.
Germ. p. 780. Carolus iterum Romanum rediit, synodum constituit cum Adria-
no, papa, aliisque 151, religiosis episcopis et abbatibus, in qua Adrianus, pa-
pa, cum vniuersali synodo dedit ei ius eligendi pontificem, et ordinandi a-
postolicam sedem, dignitatem quoque principatus -- omnesque huic de-
creto rebellis anathemizauit, et, nisi resipiscerent, bona eorum publicari.
- 11) ANNALES FRANCORVM Reuberiani ad ann. 817. p. 6r. seq. Inter ea Ste-
phanus, papa -- vix. Kal. Febr. diem obiit. Cui Paschalis successor electus
post completam solenniter ordinationem suam, et munera et excusationem
imperator misit epistolam, in qua sibi non solum nolenti, sed etiam pluri-
mum renitenti, pontificatus honorem velut impactum assuerat. Misit tamen
alia legatione, quod praedecessoribus suis factum erat, etiam secum fieri ac
firmari rogauit.
- 12) Supplementum chronicorum PAVLLI WARNEFRIDI ad ann. 825. apud Freherum
in corpore historiae Franciae P. I. p. 181. Hoc est iuramentum, quod Ro-
mano clero et populo ipse (Lotharius) et Eugenius papa facere imperavit.
Promitto -- quod ab hac die in futurum fideliter ero dominis nostris impera-
toribus, Hludouico et Hlothario -- et quod non consentiam, ut aliter in
hac sede Romana fiat electio pontificis, nisi canonice et iuste, secundum
vires et intellectum meum; et ille, qui electus fuerit, me consentiente, con-
secratus pontifex non fiat, priusquam tale sacramentum faciat in praesentia
missi domini imperatoris et populi, cum iuramento, quale dominus Euge-
nius papa sponte pro consecratione omnium factum habet prescriptum.

13) AN-

13.) ANNALES FRANCORVM apud Reuber, ad ann. 827. p. 76. seqq. Eugenius, papa, mense Augusto defecit, in cuius locum Valentinus, diaconus, electus et ordinatus via mensem in pontificatu compieuit. Quod defunctus Gregorius, presbyter S. Marci, electus, sed non prius ordinatus est, quam legatus imperatoris Romanam veniret, et electionem populi examinaret.

14.) GREGORIVS IV. PONTIFEX in epistola ad episcopos regni Francorum, quae extat inter Agobardi opera T. II. p. 53. seqq. Ibi vero p. 56. scribit: Bene autem subiungitis, memorem me esse debere iuris iurandi, causa fidei facti imperatori. Quod si feci, in hoc volo vitare perjurium, si annuntiauero ei omnia, quae contra unitatem et pacem ecclesiae et regni committit. Quod si non fecero, periturus ero, sicut et vos.

VII.

Saluam mansisse hanc in constituendo summo pontificatu auctoritatem Lothario I. ac Ludouico II. eius filio, quicquid etiam in contrariam partem machinati sunt Romani, non dubitare nos patitur subsequentium temporum historia. Nam cum, defuncto Gregorio IV. Sergius II. in eius locum substitutus, non expectato imperatoris consensu ordinatus esset, a patre Romani missus est Ludouicus, officii admonitus Romanos, vtne quicquam huius rei in posterum auderent. Quod quidem etsi in Leonis IV. consecratione obseruatum denuo haud fuit, calamitate temporum festinationem suadente, 2) hoc tamen mortuo, posteaquam Benedictus III. illi surrogatus est, ad priscum morem rediere Romanis, ac solenne electionis decretum ad Lotharium et Ludouicum II. misere. 3) Quin et praesentibus imperatorum legatis consecrationem peractam esse, ANASTASIVS 4) testatur. Neque in divisione terrarum, a Lothario, imperatore, tribus filiis Ludouico II. Lothario II. ac Carolo assignatarum, villa pontificis R. ratio habita est, praeterquam quod Romani missus est Ludouicus, natu maximus, a parente in consortium imperii assumptus, vocationis ac coronationis a Leone IV. pontifice, ut mos ferebat, impetrandae causa, si tamen, quod

ANNA-

ANNALIVM BERTINIANORVM 6) conditor ad annum DCCCL.
refert, huc pertinet. Non est, quod quisquam mihi obiici-
at, hunc ipsum Ludouicum, anno DCCCXLIV. Romae moran-
tem, nullis consequei precibus a pontifice potuisse, hic vt fi-
dem sibi a Romanis obligari pateretur. Quamuis enim mi-
nime negari possit, et Sergium II. et proceres Romanos maxima
contentione obstitisse, quo minus voti compos fieret
Ludouicus, ex ipsa tamen temporum ratione appareat, et
probatisimorum testium fide constat, antea hoc accidisse,
quam Ludouicus a patre consors imperii fuisse factus. ANA-
STASIVS 7) certe, qui huius rei mentionem facit, Ludouicum,
anno DCCCXLIV. Longobardum regem appellatum corona-
tumque esse, refert. Hoc autem facto, postulasse Ludouicum,
addit, a Romanis iuramentum fidelitatis, at repulsa tulisse a
pontifice, ceteroquin minime repugnante, vtne Lothario, pa-
tri, imperium tunc sine socio tenenti, obsequium, iam olim
promissum, confirmaretur, vt mirum non sit, iniussu huius
transire in alterius cuiusque fidem Sergium aequa ac Roma-
nos noluisse.

- 1) ANNALES BERTINIANI ad ann. 844. apud Muratorium script. rer. Ital. T.
II. P. I. p. 539. Gregorius, R. eccliae pontifex, decessit. Cui Sergius succe-
dens in eadem sede substitutur. Quo in sede apostolica ordinato, Lotharius
filium suum Hludouicum Romam cum Drogone, Mediomaticorum episco-
po, dirigit, acturos, ne deinceps, decadente apostolico, quicquam illuc prae-
fui iussionem, missorumque suorum praesentiam, ordinetur antistes. Qui
Romam venientes honorifice suscepisti sunt, peractoque negotio, Hludouicu-
mum pontifex R. vntione in regem consecratum cingulo decoravit.
- 2) ANASTASIVS in vita Leonis IV. p. 258. Romani -- noui electione pontificis
congaudentes, coepierunt iterum non mediocriter confundari, et quod sine
imperiali non audebant auctoritate futurum consecrare pontificem, pericu-
lumque Romanae vibis maxime metuebant, ne iterum, vt olim, aliis ab
hostibus fuisse obessa. Hoc timore et futuro casu perterriti, Leonem IV.
sine permisso principis praesulem consecraverunt, fidem quoque illius sue
honorem post Deum per omnia et in omnibus conservantes.
- 3) IDEM in vita Benedicti III. p. 295. His peractis cleris et cuncti proceres decre-
tum componentes propriis manibus roborauerunt, et, consuetudo prisca vt poscit,
inuitissimi Lothario ac Ludouico destinauerunt Augustis. 4) IDEM

- 4) IDEM l. c. p. 300. Praeterea in basilicam -- deductus est, et in conspectu omnium, imperialibus missis cernentibus, in apostolica sede, ut mos est, et antiqua traditio dicit, consecratus ordinatusque est pontifex.
- 5) REGINO chronici L. II, ad an. 855. apud Pistorium T. I. script. ver. Germ. p. 61. A uno dominicae incarnationis DCCCLV. Lotharius, conuocatis primoribus regni, imperium filii sui diuisit, Ludouico Italiam tradidit, eumque imperatorem appellari fecit. Aequiuoco vero idem Lothario regnum, quod ex suo nomine vocatur, concessit: Carolo autem, qui iunior natu erat, provinciae regnum largitus,
- 6) ANNALES BERTINIANI ad ann. 850. apud Muratorium l. c. p. 531. Lotharius filium suum, Ludouicum, Romanum mittit. Qui a Leone, Papa, honorifice suscepimus et in imperatorem vncus est.
- 7) ANASTASIUS l. c. in vita Sergii p. 251. seq. Almificus pontifex manibus suis ipsum Hludouicum -- oleo sancto perungens, regali ac pretiosissima coronauit corona, regemque Longobardis praefecit, cui regalem tribuens gladium illum subcingere iussit. His ita peractis, a predicto postulauerunt pontifice, ut omnes primates R. fidelitatem ipsi Ludouico, regi, per sacramentum promitterent, quod prudentissimus pontifex fieri nequaquam concessit, sed sic orsus est illis: quia si vultis Domino Lothario, magno imperatori, hoc sacramentum vt faciant, solummodo consentio ac permitto. Nam Hludouico, eius filio, vt hoc peragatur, nec ego, nec omnis Romana nobilitas, consentit.

VIII.

Interim minime infistas iuerim, hoc ipso Ludouico II. imperante, maiora pontifices, quam antea quisquam antecessorum ausus fuerat, sibi sumfuisse. Etenim id inde a Caroli M. aevo vsu obtinuisse, vidimus, vt imperialis dignitas fratri natu maximo, ex eiusque linea primogenito cesserit, assentientibus Franciae proceribus, in ordinanda successione consultis. Eamque ob rem Ludouicus, sensim sensimque infirmatus, ac tandem in desperationem vitae longius producendae adductus, id in primis habuerat votis, vt Carolomannus, filius Ludouici Germanici, tunc quidem superstitis, at tamen decrepiti senis, suus esset in imperio successor. 1) Alia vero omnia placuisse praesulibus Romanis, illosque, adhuc viuo Ludouico, imperatore, cum Carolo caluo, de imperio, in hunc transferendo, consilia communicasse, ex Adriani II. epistola

epistola, ad Carolum, modo commemoratum, scripta, apparet. Ac ne intra conatum subsisterent clandestinae motiones, Ioannes VIII. effecit, quando, intellecta Ludouici II. morte, Carolum continuo per nuntios ex Gallia arcessuit, 3) vt Carolannum, ab Engelberga, imperatrici vidua, in Italianam vocatum, 4) praeueniret. Ille igitur, vt sine mora iter aggressus Romam peruenit optatissimus expectatissimusque, sic ipso natali Domini eiusdem anni DCCCLXXV. solenni caerimonia imperator est appellatus. 5) Neque tamen est, quod quisquam sibi persuaderi patiatur, quod Ioannes VIII. pontifex, commentus est, 6) Nicolaum I. diuinitus esse monitum, vt, Ludouico II. mortuo, ad Carolum caluum imperii fasces deferrentur. In caussa potius erat auri sacra fames, quam, testibus compluribus omni exceptione maioribus, eo usque exsatiabat Carolus, vt, si vel maxime in legitimi successoris partes transire voluissest pontifex, maiora expectare non potuissest. 7) Ad haec omnia accedebat inusitatum plane Caroli in sedem R. obsequium ac studium, quo dignitatem imperii, patrieli praereptam, ad gratiam pontificis referebat, 8) huic certe tanto magis acceptum, quod arrogantiae hominis, ad summum fastigium contendentis, apprime conueniebat, quodue spem faciebat, fore, vt, quicunque in posterum ad solium imperii adspiraret, nihil prius sibi agendum duceret, quam vt de benevolentia pontificis, omni largitionum et indulgentiarum genere comparanda, laboraret, ad quod denique prouocari poterat, si cui forte postea in mentem veniret, summam curiae R. in conferendo imperio auctoritatem in dubium vocare.

1) EUTROPIVS PRESBYTER de iuribus ac priuilegiis imperatorum in imperio R. apud Goldastum T. I. monarchiae imperii p. 10. Ludouicus voluit, sibi succedere Carolannum ad suscipienda imperialia sceptra. Cum haec ita geruntur, R. pontifices semper per oratores litteras mittebant in uitatorias ad Carolum

- Carolam caluum, regem Francorum, inuitantes cum clam. Et quia erat in litteris quasi philosophus, rogabant illum, superuenire beato Petro, et de seruitutis iugo ad propriam libertatem reducere suam ecclesiam, ut quasi per vim ab aliquo esset oppressa. Talibus euoluti machinationibus, moritur Ludouicus. Mitterit statim citatus a Ioanne, qui tunc praerat, a papa legatus ad eundem Carolum, qui nullas veniendo faciens moras ingressus Italiam periit Romam.
- 2) ADRIANVS II. pontifex in epistola 34. in collectione conciliorum a Labbeo editorum, Tom. VIII. col. 938. Vobis confitemur deuouendo, et noteſcimus affirmando, ſalua fidelitate imperatoris noſtri, quia, ſi ſuperstes ei fuerit veftra nobilitas, vita nobis comite, ſi dederit nobis quilibet multorum modiorum auri cumulum, nunquam adquiescemuſ, expofcemuſ, et ſponte fuſci- piemuſ alium in regnum et imperium Romanum, niſi te ipsum. -- Si con- tigereſ, te imperatore noſtri viuendo ſupergredi, te optamuſ omnis cle- ricus et plebs, et nobilitas totius orbis et virbiſ non ſolum ducem et regem, pa- tricium et imperatore, ſed in praefenti ecclieſia defenſorem,
- 3) vid. nota 1.
- 4) EVTROPIVS PRESBYTER I. c. Ludouico II. imperatore, infirmante, et ad extreſum propinquante, quia non habebat filium, voluit ſibi ſuccedere Carolomannum ad ſuſcipienda imperiaſia ſceptra. Talibus euoluti ma- chinationibus moritur Ludouicus. Mitterit -- miſſus ab vxore imperato- riſ, Engilberga, vel a ſuis primatiibus, ad Carolomannum, oſtendens ei vota de- functi. Et quia longius erat, noluit tam cito venire, vt impideſ posſet iter Caroli calui.
- 5) ANNALES BERTINIANI ad ann. 875. apud Muratorium T. II. P. I. ſcriptor rerum Ital. p. 560. Karolus kalendis Septembribus iter ſuum incepit, et per sancti Mauriti monaſterium pergenſ, montem Louis transiit, et Italiā in- gressus fuit. -- Quibusdam de proceribus ex Italia ad ſe non vniuentibus, pluribus autem recipiſ, Romam, inuitante papa, Ioanne, perrexit, et XVI. Kal. Ian. ab eo cum gloria magna in ecclieſia S. Petri fuſcepitus eſt. Anno Domini 876. in die nativitatis domini beato Petro multa et pretioſa munera offereſ, in imperatore vncutus et coronatus, atque Romanorum impe- rator appellatus eſt.
- 6) GESTA ELECTIONIS CAROLI CALVI apud Pitheum, inter ſcriptores annalium et historiae Francorum p. 501. Vnde nos, tantis indiciis diuinitus incubentibus, luce clarius agnitis, ſuperni ſcreti conſilium manifeſte cognouimus, et, quia pridem apofolicas memoriae decessori noſtro, papae Nico- lao, id ipsum iam inſpiratione caeleſti reuelatum fuſſe coperimus, elegimus hunc merito et approbauium vna cum annis et voto omnium ſtratum, et coepſcoporum noſtrorum, atque aliorum S. R. ecclieſiae miniftrorum am- plique ſenatus totiusque R. populi etc. ect.
- 7) ANNALES FVLDENSES ad ann. 876. apud Freher. ſcript. rer. Germ. T. I. p. 48. REGINO L. II. chronici, ad ann. 877. apud Pitheum T. I. ſcript. rer. Germ. p. 79. HERMANNVS CONTRACTVS ad ann. 875. apud Pitheum L. c. p. 242. 8) Edi-

8) Edidit huius sue pontifici addicissimae voluntatis plura documenta, ex quibus etiam hic pertinet diploma pro confirmatione privilegiorum monasterii Vedastini exaratum, apud Martene Veterum scriptorum et monumentorum T. I. col. 298. seq. Ibi: itaque vocatione domini Ioannis, apostolici, Romam properantes, et voto nostro, quod ex longo tempore cupueramus, satisfacientes, post collatam a praefato patre nostro, summo pontifice, et vniuersali papa, Christo nobis propitio, imperii dignitatem, humiliter eidem summo pontifici supplicauimus, etc. etc.

IX.

Non tamen obesse haec sibi creditit Carolomannus, Ludouici Germanici filius, quo minus ius, a maioribus quaesitum, et ordinum voluntate per varios gradus in se translatum, assereret, ac, quod viuo Carolo consequi non potuerat, huius artibus elusus, post mortem eius valida manu vindicatum iret. Nec mora fuit in Italiae proceribus, qui, simul ac diem obierat Carolus, ad mortem usque rerum in Italia potitus, ad Carolomannum se contulerunt, eiusque potestati se subdiderunt. 1) Solus pontifex, qui Carolomanno semper aduersatus fuerat, nunc quoque imperium eius agnoscere solebat, atque etiam, ne Romani in deditiōnem venirent, impedimento erat. Quam ob rem missi fuerunt Lambertus et Albertus, qui sponte obtemporare recūsantes vi adigerent, idque tam felici successu peregerunt, ut, capto Ioanne, pontifice, Romani in verba Carolomanni iurarent. 2) Tanto maiore igitur indignatione capiebatur pontifex ob interruptam iuris, quod tam sollicite aucupatus fuerat, possessionem, vt, relicta Roma, in Galliam aufugeret, ibique Lambertum et Albertum, quorum opera in cōcēndis Romanis usus etat Carolomannus, a communione ecclesiae excluderet, 3) mox etiam in Italiā reuersus, nullis laboribus parceret, vt Carolomannum eiceret, summamque potestatem in Bosonem, hominem sibi addicissimum, transferret.

D 2

ferret. 4) At frustraneas fuisse has pontificis molitiones, saltem euentus docuit. Bosonem enim imperio potitum esse, nullibi, quod ego quidem sciam, legitur consignatum. Eoque facilius adsentior SIGONIO, 5) quando, Carolomannum regnum Italiae per triennium tenuisse, scribit. Etenim Carolum caluum prid. non. Oct. anni DCCCLXXVII. diem supremum obiisse, 6) Carolomannum contra, qui, Carolo defuncto, in Italia regnauit, xi. kal. April. anni DCCCLXXX. mortuum esse, 7) ex annalibus superioris aeuī appetet. Nec alienum a vero videtur, ipsum Ioannem, pontificem, extincto Carolo caluo, sensim sensimque faciliorem esse factum, nihilque eius, quod ad Carolomanni benevolentiam sibi conciliandam facere posset, omisissē. Cum enim in dies magis magisque graffarentur Saraceni, nec Ludouicus balbus, Caroli calui filius, is esset, qui vel horum barbarorum irruptiones auertere, vel etiam, inuito Carolomanno, regnum Italiae obtinere posset, tutius fane et rei Romanae consultius esse, existimabat Ioannes, vt imperium illi cederet, cuius virtute, iam satis perspecta, defendi contra immanes hostes posset. Eam igitur obrem ad litteras Carolomanni, post mortem Caroli calui ad se missas, humanissime respondit, et aduentum, cuius ille spem fecerat, sibi gratissimum fore, semel et iterum affirmauit. 8) At, quo minus tamen ad iter promissum fese accingeret Carolomannus, varia interuenere impedimenta, mox etiam accessit imbecillitas corporis, tanta quidem, vt, quod pontifex quoque ad Ansperatum, Mediolanensem archiepiscopum scripsit, 9) de salute eius desperaretur. Intelligitur vero ex his ipsis Ioannis VIII. litteris, illum etiam in his, quibus premebatur, angustiis propositi memorem, arbitrium optandi imperatoris sibi tribuisse, atque etiam, ne proceres regni Italicī cuiquam fese regi submitterent, nisi consilio in synodo,

ad

ad Kal. Mai. anni DCCCLXXIX. Romae celebranda, secum communicato, interdixisse. Hoc tamen Ansperto, Mediolanensi archiepiscopo, haud placuisse, exinde colligo, quod dicto conuentui non interfuit, nec postea, licet iterum et saepius vocatus, pontifici praesto esse voluit. 10) Eoque magis dubito, an eidem, ne cum vlo ex regibus Francorum, Italianam forte ingressuro, quicquam negotii, se infcio, haberet, praecipienti 11) morem gesserit, quo luculentius ex alia Ioannis epistola apparet, Anspertum, interim ob denegatum R. praefuli obsequium excommunicatum, 12) mense Decembri inductionis XIII. quo tempore Carolus Papiae moratus est, nondum in communionem ecclesiae R. receptum fuisse. 13) Negari autem nequit, ipsos Francorum reges in causa fuisse, vt longius quotidie arrogantia curiae R. progrederetur, suamque in deferendo imperio auctoritatem, quam subinde non parum valuisse videbat, firmaret. Quemadmodum enim Carolus calvus nullis vel blandimentis, vel largitionibus, pepercera, vt, pontifice adstipulante, Ludouico, germano suo, et filio huius, Carolumanno, imperium praeriperet, ita et nunc ipsi Ludouici Germanici filii, fratresque germani arcanis sibi inuicem artibus obsuissse, singulique in fraudem liquorum pro se maxime laborasse videntur, vt, quod ad dignitatem imperii attinet, in suam partem deducerent pontificis voluntatem. Si, vt adhuc mos fuerat, nativitatis ordo aliquid valuisset, non est dubium, Carolumanno, natu ex fratribus maximo, ius quoddam praecipuum competuisse. Et forte nec in pontifice, a barbaris misere vexato, nora fuisset. At illi morbus obstabat, quo minus Italianam peteret. Hunc vero hostes vrgebant, vt primo cuique et in recipienda ecclesiae R. defensione promptissimo imperium, ceu peculium suum, offerret. Animaduerto igitur, interea, dum

Carolo-

D 3

Carolomanus decubuit, Carolum crassum occulte, ni fallor,
ac fratre inscio, cum pontifice de corona imperii, sibi impo-
nenda, tractasse. Et hoc quidem coniicio ex epistola Ioan-
nis, pontificis, 14) a Carolo, vt sibi amorem integrum ser-
uaret, rogati, et vicissim grata quaevis, ac honori Caroli pro-
ficia, quin et ipsam imperatoris dignitatem haud obfcure
promittentis. Minus autem dissimulanter egit idem ponti-
fex in alia epistola, 15) vi Non. Mai. inductione XII. siue an-
no DCCCLXXIX. data, in eaque Carolum crassum, quod voca-
tus ad ecclesiae exaltationem suumque ipsius honorem non
venisset, partim reprehendit, partim de constantissimo suo
in ipsum affectu certum esse iussit. Interim etiam Ludouicus,
alter Carolomanni et Caroli frater, ad imperiale fastigium ad-
spirabat, eamque ob rem, quod ex responsione Ioannis li-
quet, amplissimas quasuis et splendidissimas conditiones ob-
tulerat. Quae ut incremento potentatus pontificii maxime
inserviebant, ita liberalissimus erat in repromittendo, omni-
bus modis Ludouicum admonens, vt ad capessendum im-
perium aduolaret. 16) Crediderim tamen ego nihilominus,
pontifici haec cordi non fuisse, et, si conjecturæ locus est,
existimauerim, illum Carolo crasso, fratri natu minimo ideo
addictiorem fuisse, ne forte Ludouico, in locum Carolomanni
surrogato, imperium magis iure hereditario et ob praerogatiuam
natuitatis, quam ex gratia pontificis, obuenisse, cre-
deretur. Hoc saltene certum est, vix mensis spatium ab eo
tempore, quo ad Ludouicum scriperat Ioannes, elapsum
fuisse, cum Carolum crassum denuo per litteras excitauit,
vt aduentum maturaret. 17) Idemque subseqnente anno d.
xxiii. Iunii repetit, ac soli Carolo imperium destinatum esse,
affirmauit. 18) Tandem igitur anno DCCCLXXX, emortuali
Carolomanni, cuius metu expeditio Italica tam diu dilata
esse

esse videtur, 19) Carolus, itinere suscepito, Papiam venit, indeque Romam progressus, ipso natali Christi a pontifice est coronatus. 20) Quo minus enim BARONIO 21) OTTONI FRISINGENSI, 22) SIGEBERTO GEMBLACENSI, 23) MARIANO SCOTO, 24) aliis, hanc coronationem ad annum DCCCLXXXI. vel plane DCCCLXXXII. referentibus, contra ANNALISTAE BERTINIANI 25) et AIMONI 26) auctoritatem fidem accommodem, IOANNES VIII. pontifex facit, quippe qui non solum in litteris ad Carolo-mannum et Ludouicum, Franciae occidentalis reges, iv. Id. Mart. indictionis xiv. quae ad annum DCCCLXXXI. pertinet, Caroli, imperatoris, mentionem facit, 27) sed et in aliis, xiv. Kal. April. eiusdem anni ad ipsum Carolum scriptis, huic elogium imperatoris tribuit. 28.)

- 1) ANNALES FVLDENSES *ad ann. 877. apud Freberum T. I. script. rer. Germ. p. 50.* Carolus calvus, in itinere dysenteriae morbo correptus, cum magna perit tristitia - - Carlmannus optimates Italiæ, ad se venientes, suscepit, et disposita, prout voluit, regione, reuersus est in Baioriam
- 2) ANNALES FVLDENSES *ad ann. 878.* Lambertus, Widonis filius, et Adalbertus, Bonifacii filius, Români cum manu valida ingressi sunt, et Ioanne, R. pontifice, sub custodia retento, optimates Romanorum fidelitatem Cainmano sacramento firmare coegerunt.
- 3) ACTA CONCILII TRICASSINI II. *apud Labbeum T. IX. conciliorum col. 307. seq. adda. BARONIVS annal. eccl. T. X. ad ann. 878. n. 11. p. 536.* it. ANNALES FIDELENSES. l. c.
- 4) ANNALES FVLDENSES *ad ann. 878. l. c. pontifex, assumto Bofone, comite, qui, propria vxore veneno extincta, filiam Huldouici, imperatoris, de Italia per vim rapuerat, cum magna ambitione in Italiam redit, et cum eo machinari studuit, quomodo regnum Italicum de potestate Carlmanni auferre, et ei tenendum committere potuisset.*
- 5) SIGONIVS de regno Italie L. V. p. 135.
- 6) ANNALES BERTINIANI *ad ann. 877. apud Muratorium l. c. p. 536. seq.*
- 7) ANNALES FVLDENSES *ad ann. 880. apud Freberum l. c. p. 52.* it. NECROLOGIVM FVLDENSE *apud Leibnitium scriptor. rer. Brunsiac. T. III. p. 762.*
- 8) Ioannes VIII. pontifex *in epistola mensé Nou. indict. XI. 63. apud phil. Labbeum et Gabr. Cessarium conciliorum T. IX. col. 50.* De causa sane vestri ad nos aduentus, nostraque sublimissima promissione, Romanæ ecclesiæ supra omnes, qui fuerint ante vos eiusdem exhalatione, cum hoc opere compeleritis, aderit ille vestri retributor. -- *Quibus peractis demum rufus ordinabili-*

- dinabiliter et honorifice mitremus, qui vos cum tota decentia, vt pote tantum regem, ad limina apostolorum ducere studeant, vnaque conuenientes de statu reipublicae, totiusque Christiani populi saluatione salubriter tractare, Deo opitulante, ac ordinare valeamus. IDEM in epistola 89. l. c. col. 74. Vestrum quoque ad praedictam matrem vestram, vt gloria culminis vestri spoponderit, tanto audiens enixiusque quotidiana praeflatione aduentum expectavimus, quanto pro augmento mercedis vestrae nos, nostramque ecclesiam, in tot aduersantibus laborantem, super omnes imperatores atque reges, qui ante vos fuerunt, exaltare ac beatificare omnimodo promisisti.
- 9) IOANNES VIII, in epistola 155. l. c. col. 103. Et quia Carolomannus, corporis, sicut audiuimus, incommode grauatus, regnum retinere iam nequit, vt de noui regis electione omnes pariter consideremus, vos praedicto adesse tempore (ad Kal. Mai. indict. XII.) valde oportet, et ideo ante nullum absque nostro consensu regem deberis recipere. Nam ipse, qui a nobis ordinandus est in imperium, a nobis primum atqua potissimum debet esse vocatus atque electus,
- 10) Patet hoc ex epist. IOANNIS 181. 182. XIV. et. XIII. Kal. Iun. indict. XII. l. c. col. 116. 118. epist. 196. col. 117. ep. 204. col. 148. ep. 221 col. 159. ep. 222. col. 160. ep. 231. col. 166.
- 11) IOANNES PONTIFEX in epist. 181. col. 117. Praeterea hoc etiam tibi, tuisque suffraganeis omnibus, admonitione nostra denuntiamus atque praecepimus, vt cum eo, qui de regibus Francorum, Deo fauente, Italiam fuerit ingressus, nullum absque nostro consensu et vnanimitate placitum facere praesumatis.
- 12) IDEM in epist. 196. col. 127. Tantis, heu proh dolor! transgressionibus inueniris obnoxius, quantis nullus -- in primis quod nostri operis atque laboris noluisti socius esse ac particeps. -- Pro quibus et similibus te tamdui communione priuauimus, -- donec nobis occurseres,
- 13) vid. epist. IOANNIS 231. col. 166. VIII. Kal. Decembr. indict. XIII. l. c. anno 880. data, qua Carolo, Papiae moranti, se excusat, quod Ansperium eius precibus non absoluat. Sub initium tamen anni 881. Ioannem cum Ansperio in gratiam rediisse, appetit ex epistola Ioannis 260. col. 187. quae data est xv. Kal. Mart. indict. XIV. i. e. anno 881.
- 14) IDEM in epistole 160. col. 105. L. e. Regalis excellentiae vestrae litteras recipientes atque relegentes, vt in eo, quod ante praeflatui nostro direxisti, vestro videlicet amore, dilectioneque maneremus, non solum, vt iam olim retulimus, verum etiam magis ac magis nostra voluntatis effectum ad vestrae exaltationis cumulum ampliare magnopere cupimus, atque in omnibus ceu carissimum filium vos retinere procul dubio satagamus. Tantum vt, quo celerius, sicut mandatis, vestros idoneos legatos ad nos dirigere potestis, aliquatenus non praetermittatis, cum quibus sane et exaltationem vestrumque honorem inuestigare considerareque firmissime valcamus.

15) Est

- 15) Est illa 162. col. 112. l. c. Miramur, quia vos saepius exhortantes, vt ad exaltationem sanctae Dei ecclesie vestrumque honorem, et totius terrae nostrae defensionem venires, vocauimus, et hactenus distulisti. -- Nam pro certo scire debetis, quoniam pro nullius hominis lucro vel blandimento sive terrore a vestro nos consortio et vestrae amicitiae foedete separabimus: idcirco tantum viriliter agere ea, quae nobis ac vobis proficia sunt, nullatenus dubiteris.
- 16) vid. epistola 197. col. 128. xviii. Kal. Iul. indict. xii. scripta. Vestra regiae serenitatis mellifluis electis apicibus -- quamcum deuotionem ac sincerissimam voluntatem exaltandi et defendendi ecclesiam Dei habeatis, -- luce clarissimo nūimus. -- Quia propter scitote pro certo, quia nullus parentum vestrorum tantam gloriam et exaltationem a praedecessoribus nostris percepit, quam tam nos vobis, si veneritis, totis multipliciter viribus desideramus impendre. -- quoniam si, Deo fauente, Romanum sumseritis imperium, omnia regna subiecta existent.
- 17) vid. epist. 216. col. 156. mense Aug. indict. xii. scripta. Quod bene vestra regalis cognoscit sublimitas, a longo iam tempore vos pro utilitate et exaltatione sanctae sedis apostolicae, matris vestrae, ad culmen imperii, Deo propitio, volentes perducere, auctoritatis nostrae litteris missis vocauimus. Quia propter, fili carissime, pro certo scitote, quia nos vestrum honorem et gloriam toto conamine desideramus perficere;
- 18) vid. epistola 246. col. 174. seq.
- 19) Colligo hoc ex epistola IOANNIS 172. col. 112. vbi: Sed praelolando vestrum aduentum duique tardantem putauimus, ne forte Carolomanni, glorioli regis, germani vestri praedicti, aliquo impedimento iam venire nequissem: unde illi nostram apostolicam direximus epistolam, admonentes, quia, si hoc regnum amplius taliter occupatum ac inordinatum et sine defensione tenuerit, animae suae detrimentum omnimodis fieri; nullumque vobis pro ecclesiae Dei defensione venientibus impedimentum facere praesumatur.
- 20) REGINO L. II. chron. ad ann. 881. apud Pistorium T. I. p. 81. Anno dominice incarnationis 881. Carolus de Alemanno egiessus Longobardorum fines occupauit, ac in paucis diebus totam Italiam in ditionem accepit, ac Romanum perueniens, a praeſule apostolicae sedis, Ioanne, et senatu Romanorum favorabiliter exceptus, cum magna gloria imperator creatus est. Item, HERMANNVS CONTRACTVS ad ann. 881. apud eundem T. I. p. 245. Carolus, rex, frater Ludouici, Romanum veniens vna cum regina, Richilda, imperialiunctione a Ioanne, papa, coronatur, et omnes Italorum episcopi praeter papam imperatori iure iurando subiiciuntur. Utique autem initium anni a natali Christi, non a circumcisione, subduxisse videtur, pro more scriptoribus mediis aeui non insolito.
- 21) BARONIVS annualum ecclesiast. T. X. p. 579. ad an. 981. vbi rationem temporis ita supputat, vt Carolum sub finem anni 881. coronatum esse affirmet.
- 22) OTTO FRISINGENSIS chronicus L. VI. c. 8. apud Vrflifsum script. rer. Germ. T. I. E 23) SI-

- 23) SIGEBERTVS GEMBLACENSIS ad ann. 882. apud Pistorium script. rep.
Germ. T. I. p. 800.
- 24) MARIANVS SCOTVS chron. L. III. ad ann. 882. apud Pistorium l. c. p. 642.
- 25) ANNALES BERTINIANI ad ann. 880. apud Muratorium T. II. p. 1. script.
rer. Ital. p. 569. Karolus - in Italiā perrexit. Indeque Romam veniens a
Ioanne, papa, se in die nativitatis Domini in imperatorem consecrari obti-
nuit.
- 26) ALMOINVVS de gestis Francorum L. V. apud Freberum P. II. corporis Fran-
cicæ historiæ Veteris. p. 504. Carolus in Italiā perrexit, indeque cirato
itinere Romam veniens a Ioanne, papa, in die nativitatis Domini in impe-
ratorem vngi obtinuit.
- 27) IOANNES VIII. PONTIFEX in epistola 263. col. 189. data IV. Mart. in-
dict. XIV. i. e. 881. Nosse volumus vestram dilectionem, quia spiritualem
filium nostrum, Carolum, serenissimum imperatorem, Romae nobiscum de-
gemetem, rogauimus, etc. etc.
- 28) vid. epistola 269. col. 199. data IV. Kal. April. indict. XIV. Inscriptio est:
Carolo, imperatori. Et in ipsis litteris Catolo nomen imperatoris et augusti
tribuitur.

X.

Quae subsecuta sunt tempora, turbarum fuere plenis-
sima, ipsique sedi Romanae non raro molesta, cum plures
de imperio inter se concertarent. Quorum ut quisque opibus
maxime valuit, ita prae aduersario solium concendit,
indeque iterum, simulac aemulus vires collegit, deturbatus
fuit, vt vix credam, pontificii assensus a principibus belli-
gerantibus praecipue rationem habitam esse. Notum est,
exauctorato Carolo, cui vni Franci occidentales aequo ac
orientales vna cum Burgundis et Italib[us] paruerant, magnam
rerum conuersionem factam esse, singulosque, quos dixi,
populos suos sibi reges elegisse. 1) Et quod ad Italiā in pri-
mis attinet, imperante adhuc Carolo, Guidonem inter et Be-
rengarium conuenerat, hic ut Italiā, ille Franciam assertum
iret, si forte Carolo humani quicquam accideret. 2) At cum
spe obtaindæ Galliae postea decidisset Guido, id agebat, ut
Berengario Italiā eriperet, tam felici quidem successu, ut ex
duobus

duobus praeliis victor Romam profectus, et ix. Kal. Mart.
indict. ix. siue anno DCCCXCI. a pontifice vncius, imperator
appellaretur. 3) Abhinc igitur tenuit imperium Guido, frustra
sele oppONENTe Berengario, illudque post mortem suam reli-
quit Lamberto, filio, iam anno DCCCXCII. in societatem imperii
recepto, 4) sed anno demum DCCCXCIV. a pontifice corona-
to. 5) Vtrum tamen libere egerit curia R. an vi coacta,
ego non dixerim. Illud autem certum est, Formosum an-
no DCCCXCIII. legatione ad Arnulphum, Germaniae regem,
missa, efflagitasse, hic vt Italiam pariter ac ipsam Romanam a do-
minatione malorum Christianorum liberaret. 6) Ac, cum in
prima expeditione perficere, quae rogatus erat, non potu-
isset Arnulphus, preces suas repetit Formosus, 7) annoque
DCCCXCVI. illum, in Italiam reuersum, Romanque cum ar-
mata manu ingressum, corona imperiali redimuit. 8) In-
terim exiguum huius rei fructum cepit nouus imperator,
morbo, vt redditum in patriam acceleraret, compulsus. 9) Ac-
cessit eo ipso anno obitus Formosi, praefulsi, Arnulpho, vt
videtur, inuitis Romanis, addicti. 10) Quo facto, si fides est
habenda SIGONIO, 11) Lambertus, rebus suis in melius mutatis,
in synodo Rauennate impetravit, vt inauguratio Arnulphi
irrita declarata fuerit. Atque etiam ex euentu constat, Ita-
los, Lamberto anno DCCCXCVI. vel, vt alii malunt, DCCCXCVIII.
defuncto, Arnulphum posthabuisse, ac Ludouico, Bosonis fi-
lio, imperium obtulisse. 12) Cui, vtpote nouo aemulo, Be-
rengarius, suis et ipse fautoribus non destitutus, quidem ob-
uiam iuit, at nihilo magis prohibere potuit, ne Ludouicus
Roman perueniret, ibique anno DCCCXCVIII. imperator coro-
naretur. 13) Neque tamen hic imperio vsus est vel quieto, vel
diurno, a Berengario anno DCCCCIII. expulsus ac oculis pri-
uatus. 14) Qua re peracta, num Berengarius Romae coronatus
sit,

sit, ego pro certo affirmare non ausim. BARONIVS 15) enim, quo auctore id assueret, non adducit. Forte tamen, ut ego quidem suspicor, fidem actorum synodi Rauennatis ac Romanae, ex codice quodam ANTONII AVGUSTINI desuntorum secutus est, in quibus Berengarii coronatio, tanquam barbarica ac vi extorta, reprobatur, Lamberti contra consecratio confirmatur. 16) Sed ego, quod ad haec acta, hanc ob causam in dubio versor, quod anno DCCCIV. quo et Rauennas et Romana synodus celebrata est, Lambertus iam dudum diem obierat supremum. Si vero recte se habent, quae in his actis de Berengarii coronatione leguntur, non poterit non mihi concedi, nomen Lamberti pro appellatione Ludouici Bosonidis irrepsisse vitio scribentis. Enim vero quoniam non satis liquidum est, quae fuerint in his imperii vicissitudinibus partes pontificis, ego superuacaneum duco, diutius his immorari. Neque operaे pretium facerem, si apud Rudolphum, Hugonem, Lotharium, ac Berengarium II. subsisterem, in quorum gestis nil quicquam inuenio praesenti instituto accommodatum. Hoc vnicum, quantum ad Franciae orientalis regnum spectat, silentio non est praetereundum, Hattensem, Moguntinum archiepiscopum, vna cum suffraganeis suis, ad Ioannem IX. pontificem, litteras dedisse, iisque Ludouici, in locum Arnulphi, patris, surrogati, electionem significasse, ad haec, quod iniussu pontificis facta esset, excusationem addidisse, ut denique illam benedictione sua roboret, rogasse. 17) Sed non est, cur quis in hac epistola omni blandiarum genere plena, verbisque ad obsequium pontifici demonstrandum compositis referta, aliquid latere putet, quod juris necessitate factum sit. Nam et diu post haec tempora, cum praefules Romani regis, recens electi ac imperiali corona ornandi, confirmationem ad se pertinere palam professi sunt,

sunt, nemo eorum eo processit arrogantiae, vt, se inscio, regem a Germanis eligi posse, negauerit. Quodsi tamen foret, qui vestigium pontificii de electione Germanorum regis arbitrii adesse adseueraret, non posset probationem detrectare, ea, quae Hatto et Moguntinae prouinciae episcopi litteris suis, ad pontificem datis, inseruerunt, Ludouici, regis, ac omnium ordinum consensa scripta esse.

- 1) ANNALES FVLDENSES ad ann. 888. apud Freherum script. rer. Germ. T. I. p. 62.
- 2) LVITPRANDVS histor. L. I. c. 6. apud Reuber. script. rer. Germ. p. 143. Wido et Berengarius tanto sunt amicitarum foedere conglutinati, vt sibi hoc iurecurando promitterent, quod si regi, Carolo, superfites forent, alterius alteri ordinationi coniuineret, simul vt Wido, quam Romanam dicunt, Francianum, Berengarius obtinueret Italiam.
- 3) Patet hoc ex charta, apud Vgbehulum Italiae sacrae T. II. p. 191. cuius subscriptio haec est: Data IX. Kal. Mart. indict. IX. anno incarnationis domini 891. regnante domino Widone in Italia, anno regni eius III. imperii illius die prima.
- 4) FLODOARDVS historiae Rhenensis ecclesiae L. IV. c. 2. bibliothecae patrum maximas T. XVII. p. 599. pontifex Lanbertum, filium Widonis, anno secundo imperii patris ipsius nouum imperatorem factum suisse designat.
- 5) REGINO chronic L. II. ad ann. 894. apud Pistorium L. c. p. 95. Eodem anno Guido, qui Italiam regebat, et imperatoris tenebat nomen, moritur. Lanpertus, filius eius, regnum obtinuit, et Romanum veniens diadema imperii a praefulè sedis apostolicae ei imponi fecit.
- 6) ANNALES FVLDENSES ad ann. 893. L. c. p. 65. Missi autem Formosi, apostolici, cum episcopis et primis Italici regni ad regem in Baiaria adueniunt, enixe deprecantes, vt Italicum regnum et res S. Petri ad suas manus a malis Christianis erendum aduentaret, quod tunc maxime a Widone, tyranno, affectatum est.
- 7) ANNALES FVLDENSES ad ann. 894. L. c. Iterum rex a Formoso, apostolico, per epistolam et missos enixe Romam venire inuitatus est.
- 8) ANNALES FVLDENSES ad ann. 896. L. c. p. 66. Iam apostolicus paterno amore diligendo regem - - succipiens, et honeste ad basilicam beatorum principum apostolorum laetificando introduxit, et secundum morem antecedentium suorum imperiale consecrationem capiti sibi imponens, casarem augustum appellauit. Idem refert REGINO chronic L. II. ad ann. 896. L. c. p. 96.
- 9) HERMANNVS CONTRACTVS ad ann. 896. apud Pistorium L. c. p. 252. et ANNALES FVLDENSES, L. c.
- 10) ANNALES FVLDENSES, L. c. p. 67.
- 11) SIGONIVS de regno Italiae L. VI. p. 145. seqq.

12) RE-


E 3



38 DE POSTVL. PONTIF. R. CONFIRM. ELECT. REGIS R. SIBI NVNTIAT.

- 12) REGINO, chronic L. II. ad ann. 896. p. 96. Eodem anno Lampertus, filius Guidonis, -- vita decedit, et Ludouicus, filius Bosonis, a Longobardis invitatus, a prouincia egesfus, Italiani intrat.
- 13) IDEM, l. c. ad ann. 898. p. 97. Inter Ludouicum et Berengarium in Italia plurimae congresiones fiunt: multa certaminum discrimina vicissim sibi succedunt. Nouissime Ludouicus Berengarium fugat, Romam ingreditur, vbi a summo pontifice coronatus imperator appellatur.
- 14) IDEM ad ann. 904. l. c. p. 99.
- 15) BARONIVS annal. eccl. ad ann. 904. T. X. p. 658.
- 16) Extant haec acta apud Baronium l. c. p. 659. seq. Ibi autem p. 660. c. 6. haec continentur: Vnctionem itaque sacri christinatis in spirituali filium nostrum, dominum videlicet Lambertum, excellentissimum imperatorem, actam, perpetua stabilitate dignitatibus decoratam, firmam et in aeternum stabilitam esse, sancto suffragante spiritu decemimus. Illam vero barbaricam Berengarii, quae per surreptionem extorta est, omnimodo abdicamus, conf. euam LABBEI collectio conciliorum T. IX. col. 502.
- 17) Exrat haec epistola apud HVNDIVM in metropolit Salzburg. T. I. p. 32. edit, de anno 1719. it. apud GOLDASTVM de regno Bohemiae, in append. docum. p. 4. nec non in LABBEI collect. concil. T. IX. col. 496. Ex ea autem sequentia verba huc pertinent: De cetero vestrae clementiae innotescimus, seniorem nostrum, Arnolphum, imperatorem, de huius vitae exilio migrasse. -- Tali vero domino rectore et gubernatore amissio, in nostris partibus vacillavit nauis ecclesiae. Quem semel eligeret, paruo tempore inscia manxit. Et quia timor magnus aderat, ne solidum regnum in partes se scinderet, diuino, vt credimus, instinctu factum est, vt filius senioris nostri, quamvis parvissimus, communi consilio principum et totius populi consensu in regem eleuaretur. Et, quia reges Francorum semper ex uno genere procedebant, maluimus pristinum morem seruare, quam noua institutione infidere. Sed cur hoc sine vestra iussione et permissione factum sit, vestram haud dubitamus latere prudentiam. Nulla felicitate alia causa actum constat, nisi, quia, paganis inter nos et vos consistentibus, impeditum est iter nostrum ad sanctam matrem nostram, Romanam sedem, ita, vt nec legati a nostra paritate ad vestram dignitatem dirigi potuerint. Sed quia tandem occasio et tempus aduenit, quo nostra epistola vestris obtutibus praefentetur, rogamus nostram communem constitutionem vestras dominationis benedictione roborari.

EXPLICIT DISSERTATIO I.



+

94 A 7372

ULB Halle
001 681 94X

3





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
Inches



28.

36

DE
POSTVLATO PONTIFICIS R.
CONFIRMANDI
ELECTIONEM REGIS ROMANORVM
SIBI NVNTIATAM
DISSERTATIO I.

QVAM
PRAESIDE
IO. CHRISTOPHORO PESLERO

I. V. D. PAND. PROF. PVBL. ORD. ET FACVLT. IVRID. ASSESSORE
ACADEMIAE H. T. RECTORE

IN AUDITORIO ICOTORVM

III. ID. DECEMBR. A. O. R. CIO IOCC XXXXII.

DEFENDET
IO. HENR. LVDOV. BERGIVS
CVSTRINENSIS.

FRANCOFVRTHI AD VIADRVM
EX OFFICINA PHILIPPI SCHWARTZII ACAD. REG. TYP.